

GERMANIA
CANONICO - AUGUSTINIANA.

P A R S IV.

Littera I.

JAROMIRIENSE,

Percelebre quondam apud Boëmos Ordinis Canonico-Augustiniani Monasterium; Superiori ætate fuit unum ex quatuor illis, quæ pro Regularibus Canonicis instituit ac de novo fundavit simul ac largissimè dotavit fautor illorum summus ac maximus Arnestus primus Ecclesiæ Pragensis sanctæ memoriæ Archi-Episcopus, idem jam supra in descriptione Monasterii Glacensis apprimè commendatus, idem tamen Venerabile Cœnobium sequentibus annis miserrimè deperivit immanissima Hæresium invidia, siquidem anno gratiæ humanatæ 1421. fervente nimirum persecutione Hussiticâ non solum incredibiles angustias, verbera, & vincula, sed & crudelissimum quoque pro fide Orthodoxâ isthic loci constantissimè martyrium perpeffi sunt Religiosi Canonici plus minus viginti, queisvis insuper bonis ac possessionibus illorum vesano hæreticorum furori in sacrilegam direptionem relictis, post quæ longa satis interveniente temporum carpedine Regulares, qui successerunt, Canonici Jaromirium suum susceperunt quidem pro viribus restaurandum, & quamvis pleraque pars bonorum immobilium, censuum item ac reddituum iniquissimè fuerit subtrahæta, & ad manus impiorum sacrilegè devoluta, adhuc tamen vel inopes, & supra nimis angustiatii isthic constitierunt modico solum pane tribulationis ægrè sustentati, quousque demùm super hæc omnia malum undique plenius accrevit, quando nimirum Religiosi Domicelli queisvis fortunis ac possessionibus suis hostiliter exuti, & ad paucissimos solum redacti, juxta quoque scelestâ nimium Confinantium hæreticorum potentia reculis suis miserrimè spoliati solum vertere coacti sunt, & vel inviti ex integro deserere stationem seu locum suum, de quo R. P. Bohuslaus Aloysius Balbinus Societatis Jesu in vitâ Ven. Arnesti primi Pragensium Archi-Episcopi anno 1664. typis Pragensibus latinè in 4 editâ cap. 6. fol. 278. refert sequentia: in indagandâ Cœnobii hujus origine desertus ab omnibus manuscriptis cogor, etsi minimè velim, notitiæ subtrahere, tantæque sunt in hac antiquitate tenebræ, ut perditis omnibus monumentis, nec annum quidem dare possum, quo Cœnobium sanxerit. Etsi enim Chronicon M. S. affirmet primum Glacense, alterum Jaromiriense, tertium in Saczka, quartum Rokyczanæ ab Arnesto conditum, tamen divitias forsitan secutum scriptorem, aut in ordine dignitatem, non antiquitatem respexisse, vel ex eo liquet, quodd Saczense longè antè alia stetit, quod tamen tertium posuit. Paprocus in suo de Bohemiæ Monasteriis Indiculo Jaromiriense ultimo loco inter Arnesti foundationes nominat. Ego existimo circa annum 1356. initium Cœnobio datum, cum jam Glacense, quasi subsidente ad constantiam solo immobili authoritate staret, suisque se opibus ac viribus tueretur. Neque enim, ut reor, tot simul Cœnobiorum ædificationibus distringi Præsul optimus potuisset. Honori Beatissimæ Dei Matris conditum à Ven. Arnesto constat, titulum in Manuscriptis sæpius legi: Monasterii B. Mariæ in Jaromir. Nominatim anno 1410. Jacobus Præpositus B. Mariæ Canonico-rum in Jaromir, discordias quasdam inter Præpositum Glacensem Augustinum & Canonicos exortas felicissimè componit; Vir doctrina & probitate conspicuus, cujus in Glacensibus membranis plures ad concordiam spectantes Epistolæ & publica monita recitantur. Opulentissimum hoc Cœnobium Jaromiriense, & quasi (ut ita loquar) lumen cæterorum fuit, non ab unius Arnesti liberalissimâ manu tantum (qui se ipsum benefactis

quotidie superabat) sed multò maximè à vicina Nobilitate certatim conferente, multis auctum ditionibus, reliqua omnia provocabat. Suspiciari ex quibusdam ambigè scriptis possum: Nobiles & Illustres quosdam Viros, in hoc Monasterio vitam Religiosam Professos, hæreditatis suæ portionem aliquam attulisse. Insuper nobiles quædam familiæ in hoc Monasterio sepulchri Jus (quod apud Bohemos id temporis sacrosanctum) multis in Canonicos beneficiis impetrârunt, quales fuere Plesii de Slaupna, qui ab eadem stirpis origine cum Cordulis, & Sadowskiis descendunt.

Sed jam ad cruentissimam Canonicorum cædem & luctuosum Cænobii Jaromiriensis excidium narrandum, inopiâ rerum cæterarum accingor, & originem ipsam cum excidio conjungo; Ægyptiorum exemplo, apud quos serpentes, ore corpus extremum mordentes, fingeantur. Anno 1421. cum Pragenses & Taboritæ bellum immortale & internecinum Catholicis omnibus, ac præcipuè Religiosis Viris indixissent, Jaromirium tandem (captis prius in ea vicinia pluribus oppidis, arcibus & civitatibus) accesserunt oppugnaturi. Pessimè Jaromirium oderant hæretici, quòd Catholica & Religiosa Civitas esset, & quòd à Cæsare Sigismundò missum Urbi Præfectum Bozkovicium, accepisset. Tertio Pentecostes die, comparatis omnibus, quæ ad expugnationem valere poterant, sublato clamore mane summo, mænia fanatici duo exercitus aggrediuntur. Invenère paratos Oppidanos; Religione, quod in bellis acerrimum telum est, confirmati Catholici, nihil optabant magis, quàm longiorem hostibus furorem, quo ipsi præclare uterentur, & de prædonibus Religionem ulciscerentur. Tenuit oppugnatio à mane primò ad meridiem, fatiatique hæreticorum cæde Cives, ex Pragensibus septingentos, ex Taboritis nongentos, & sexdecim, intra sex horarum intervallum occiderant; non erant tum cuniculorum bella, nec otium illud assidentium ad mænia, & ex mutuo pavore cunctantium. Cæteri igitur cum ignominia repulsi refugerunt. Nescio, unde accidat, ut, post victoriam, pessima plerumque consilia audiantur, quæ ipsius victoriæ gloriam & utilitatem evertunt, ac perdunt.

Cum fractis hostibus, Catholici tollere animos deberent, ad colloquium cum hostibus descendunt; læti, & nihil ejusmodi expectantes, hæretici, vultu fiduciam mentientes, civibus imperant, aut hæresin eorum sequantur, aut merito virtutis suæ salvi & incolumes, quò velint, excedant: efferant deinde, quidquid velint, si urbe placeat exire; jurejurando promittere se, nullum violatum iri. Id posterius, pessimo consilio, Jaromiriensibus placuit, sed omnes hæreticorum Duces in condiciones jurârunt quàm promptissimè & per honorem omni asseveratione sunt polliciti. Nihil apud Taboritas fide levius fuit. Exhibant inermes Jaromirienses rebus charissimis ferendis occupati, viri, fæminæque; hæretici signo dato in miserabile agmen incurrunt armati, spoliant, illudunt, cædunt, & (quod gravissimum, Virginum, Matronarumque pudori supplicium fuit) nudos, nudasque per castra circumductas in Albim præcipitant. Senatui eum se honorem dare professi, primum jecerunt, cæteris cum contumelia dictum, pudori fore, si Senatum non sequerentur. Mox in eos, qui in Urbe remanserant, sævitum. In Arnesti Monasterio unus & viginti degebant Canonici, hos lento igne, ad lætum exercituum spectaculum (membra morientium & ora delicata crudelitate intuentes) incendunt, tum reliquam Urbem totam spoliatam super cadavera eorum, qui superfuerant, injiciunt, & exurunt, omnibus elementis in miseros & credulos nimis Catholicos grassati.

Hic exitus celebris Cænobii, cujus hodieque ruinæ & substructiones miraculo sunt. Laudant, qui viderunt, ambitus quosdam subterraneos, & viam procul ducentem hodieque mirantur. Redierunt Jaromirium post multum tempus Canonici, sed occupata ab hæreticis bonorum parte inopes vixere; deinde incendiis fortuitis, quibus illa civitas, fato quodam, sæpius concidit, ambusti, tandem, Hussitis & Lutheranis regnantibus, ad paucos redacti, fortassis etiam violentiâ vicinorum Nobilium, fortunarum suarum reliquiis exuti, omnino ex oculis amissi sunt.

ILLMONASTERIENSE.

Recensito supra Nobilissimo S. Hippolyti Collegio, authorantibus Alberto & Okario Bojaricæ Comitibus ac Principibus, ad Trafmam amnem in partibus Inferioris Austriæ recens fundato, uberrimeque dotato, laudatissima hujuscemodi Avunculorum suorum pia liberalitate provocatus, seu magis invitatus aliud quoddam tale seu cum Hippolytano illo quoad sacrum Canonicæ Religionis statum prorsus identificatum ad Illmum (quod est Pagus medio ferme itinere Monachium inter & Ingolstadtium duo potissima Bojaricæ Ducatus

Ducatus oppida situatus) decurrente sæculo octavo novum extare voluit, & præpingui satis dote locupletavit Utho ex Sorore Nepos heros inclytus. Primum loci Antistitem egit B. Lullus; cujus gesta, quia Scriptorem proprium nacta non sunt, hodie parum nota manent. Laudatur tamen is aliquatenus apud Raderum in Bavaria Sancta Volum. 2. fol. 51. Posteris temporibus totum Illmonasteriense hoc Cænobium Religioso statu penitus abdicato, una cum sacris Divi Arfacii Episcopi Reliquiis olim in adjuncto templo reconditis Monachium bonâ Sedis Apostolicæ veniâ translatum, ac inibi Collegiatæ Ecclesiæ ad B. Virginem noviter institutæ cum queisvis censibus, ac redditibus suis plenissimè conjunctum fuit & incorporatum, anno gratiæ 1475. prout fusius de hoc constat ex Hundio tom. 2. pag. 415. Radero loco citato, & Adlzreittero part. 1. lib. 7. num. 32. & part. 2. lib. 9. num. 66.

INGELHEIMENSE

Collegium Canonorum Regularium Ingelheimii (quod est urbs antiqua prope Bingam seu Bingium oppidum Archidiœcesis Moguntinensis cis Rhenum in tractu, seu uti vocant, pago Nauensi non tam cunis & residentia Caroli Magni Romanorum Imperatoris, uti & filii ejus Ludovici cognomento Pii, quam sacris etiam Synodis aliquot ac Comitiis Imperialibus ab hætenus semper inclyta, nuperrime tamen eadem hæc anno 1690. à ferocissimo Marte Gallico terribiliter exusta) à Carolo IV. itidem Romanorum Imperatore ac Rege Bohemico fundatum, sed & una simul Cæsareæ illi, quam Carolinam vocant, Abbatie in nova civitate Pragensi subditum & annexum, initia sua sumpsit anno gratiæ 1354. de quo Trithemius Abbas in sua Hirsaugiensi historia tom. 2. fol. m. 243. ad annum 1360. ita scribit: Apud Ingelheim Regiam villam Moguntinensis Diœcesis inter Moguntia civitatem & Bingæ oppidum medio itinere situm aulam eatenus regalem atque Imperialem Cænobium fecit (Carolus Magnus antedictus) Canonorum Regularium S. Augustini Episcopi quondam Hipponensis in Africa constituens illis ejusdem vitæ Præpositum. Quod quidem Cænobium pleno jure subjecit Abbati S. Caroli in Praga ejusdem Religionis, cujus hodie est, Fratres & Præpositum, quoties necessarium fuerit, instituere, & locum, ut Superioris, visitare. Constituit etiam prædictus Imperator, neminem ad Canonicatum in eo Cænobio debere admitti, qui natus de Bohemia non esset, quod ita servatur in hunc diem. Distat vero itinere à Moguntia recta versus Bingam oppidum per terram Ingelheim Villa Imperialis memorata milliariibus Germanicis duobus, in cujus aula, quæ modo est Cænobium, sicuti diximus, Carolus Imperator Magnus creditur fuisse natus, qui non minus Rex fuit Francorum Orientalium, ac totius pene Germaniæ imo primordialius, quam omnium Gallorum, qui nomen Francorum ab Orientalibus, & non aliunde susceperunt. In memorato Canonorum Cænobio locus est Bibliothecæ tenuis, in qua nunc altare constructum cernitur, ubi lectus olim Nativitatis Caroli Cæsaris Magni habebatur. In eadem quoque Regali Camera, quæ nunc & Bibliotheca est Canonorum & Capella, Carolus ipse Magnus gladium cœlitus fertur ab Angelo accepisse, in quo devicit Hispaniam & iter ad S. Jacobum Christianis tutum paravit in Galliciam: qui gladius non multæ longitudinis hodie apud Nürnbergenses ostenditur, & inter Sanctorum Reliquias Imperiales habetur. &c. &c. Hæc Trithemius loco citato. Item Sebastianus Münsterus, licet damnati nominis author, in Cosmographia de Germania lib. 3. fol. 310. Carolus Quartus (Romanorum Imperator & Rex Boëmiæ &c.) in Ingelheim, ubi Carolus Magnus dicitur natus, instituit Collegium Canonorum Regularium, subjecitque Monasterio Pragensi, in quo septem aut octo Monachi fuerunt in mea pueritia; jam vero ablatum est Boëmis, & mortui omnes Monachi, & census reditusque redeunt ad Principem Terræ. &c. Item infra pag. 492. Carolus Imperator & Rex Bohemiæ ob memoriam Caroli magni fecit renovari Aulam Ingelheimensem, instituitque in Palatio ipso Collegium Canonorum, subjiciens Cænobium illud Monasterio Pragensi, duratque illud in hunc usque diem, tametsi jam intra viginti annos nullos habuerit Monachos &c. Verum pro ampliori dictorum confirmatione proferre hic libet ipsas foundationis Ingelheimensis litteras, quarum copias vidimatas in rem præsentem gratiosè nobis communicavit Neo-Pragensis Abbas Carolinus Reverendissimus Perillustri ac Amplissimus Dominus D. Joannes Wenceslaus, in hæc verba legendas:

Carolus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus & Bohemiæ Rex ad perpetuam rei memoriam &c. &c. Cum ad omnipotentis Dei cultum & illam suæ Majestatis gloriam, cujus gratia regnamus & vivimus, naturalis inducat persuasio, & Divinæ gratiæ virtus infusa persuadeat, ut Creatura laudem frequenter exhibeat Creatori, hoc intellectui nostro præcipuum vidimus occurrere, & ad hoc mentis nostræ assertio dirigitur accuratè, qualiter ab ipso, qui Rex Regum, & Dominus Dominantium essen-

tiali potestate conspicitur, ad grata vestigia Regiæ Dignitatis assumpti sanctæ Prærogati-
væ memores Creatorem omnium in veneratione celebris memoriæ Sanctorum Wences-
lai Martyris & Ducis ac Patroni Bohemiæ, nec non Magnifici Imperatoris Caroli Magni
Confessoris Divi Romanorum Imperatoris Augusti propensius honoremus. Sanè consi-
derando, quòd Imperator ille Magnus in Villa Ingelheim Inferiori Moguntinæ Diœ-
cesis in Imperiali Palatio commemorandæ suæ Nativitatis sumpsit originem, & dum gra-
tis Successoribus habitaret ibidem tractu dierum felicium dispensatione gratia cœlestis
consilii sibi ab Angelo in quadam camera aulae suæ prædictæ fuit oblatus consolatorius
ille orthodoxæ fidei gladius triumphalis, quo propitiante sibi virtute divina de universis
fidei hostibus victoriam potenter obtinuit, quemque Divorum Imperatorum & Roma-
norum Principum pia sedulitas penes Reliquias Sancti Imperii, velut rem sacram sacræ
diligentiæ studio tenet: quam & nos de præsentibus licet insufficientibus una cum cæte-
ris Clinodiis dicti Imperii authore Domino gubernamus animo deliberato & sacro Prin-
cipum Procerum, & Baronum sacri Romani Imperii accedente consilio pariter & con-
sensu, ad honorem Salvatoris & Domini Nostri Jesu Christi, nec non Beatorum Wenc-
eslai & Caroli prædictorum reverentiam singularem in Aula nostra Imperiali in Ingelheim
inferiori de consensu & bona voluntate Venerabilis Herlaci Moguntini Archiepiscopi
Principis, & Honorabilis sui Capituli Devotorum nostrorum Oratorium novum erexi-
mus, ut pro Dei gloria, ac in præclaram memoriam Wenceslai Ducis Bohemiæ & Ca-
roli Magni Imperatoris prædicti, qui nos præcesserunt feliciter, quatuor Sacerdotes Bo-
hemici Regni Regulares Canonici Ordinis S. Augustini sub Regularis disciplinæ Observan-
tia Domino famulentur, ipsisque pro sustentatione corporeâ, ut provisi rerum tempo-
ralium contenti suffragio eò liberius possint vacare divinis, de infra scriptis proventi-
bus, usibus & emolumentis duximus providendum. Primò gratiosè donantes eisdem
& Successoribus eorum, & eidem Ecclesiæ in perpetuum universa vina, quæ in Villis
Superiori & Inferiori Ingelheim, & earum pertinentiis Imperialis sive Regiæ Curia no-
stræ quovis jure sive titulo provenire sunt solita, quadraginta florenos annui census ibi-
dem, qui de staurâ consuetâ annuatim in villis prædictis proveniunt, & plures totius
vini decimas in tota Jurisdictione castri & pertinentium in Keyfersberg, in illis præfertim
vineis, quæ nostrum dominium immediatè prospiciunt, & quas, velut utile Dominium
possidemus, ac omnem fructum usum & emolumenta, qui, vel quæ in decima septimana
de molendino sub castro prædicto Keyfersberg poterunt provenire, & de ordinariis no-
stris censibus oppidorum Keyfersberg, Dughen, Münster decem marcas numeri & pon-
deris argentei, & eum primordiale Monasterium seu Oratorium à tempore felicitis obdor-
mitionis dicti Imperatoris Augusti in præclaro nostro Regno Bohemiæ in nova civitate
Pragensi deliberatione fundatum extiterit, & in memoriam sui clarissimi nominis ad San-
ctum Carolum nominatum decernimus, & hoc perpetuo edicto sancimus, quòd Abbas
prædicti Monasterii B. Caroli Civitatis nostræ Pragensis, qui pro tempore fuerit Domi-
nus, quatuor Sacerdotes suæ Professionis Canonicos amabilis linguæ Bohemicalis prædi-
ctæ visitare, instituere, nec non commutare possit ac valeat, quoties juxta suam di-
cretionem visum fuerit opportunum. Volentes etiam quòd omnes fructus eorum sive
in vino blado seu aliis rebus existant, quos ipsis ad præsens donavimus, quosque largi-
tione Christi fidelium obtinuerunt, aut in futurum locis ipsis, ubi proveniunt, usque ad
Conventum Canoniorum eorundem absque telonii, conductuum, Ungeltorum quo-
rumlibet datione seu solutione liberè deduci debeant, non obstantibus quibuscunque
statutis, Indultis seu Informationibus in contrarium editis seu concessis. Nulli ergo pe-
nitus hominum liceat hanc nostræ foundationis, dotationis, & largitionis paginam infringe-
re, seu quovis ausu temerario contravenire sub pœna viginti marcarum auri puri, ab
eo, qui contra faceret, irremissibiliter exigenda; quarum medietatem regali nostro
ærarario sive fisco, residuam vero partem injuriam passorum usibus decernimus applican-
das præsentium sub nostræ Majestatis sigilli testimonio litterarum. Datum in Nider-
Ingelheim anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo quarto Indictione septima
decimo nono Calendas Februarii Regnorum nostrorum anno octavo. Ita tenor Bullæ
recensitæ foundationis Ingelheimensis, quam etsi lugeamus hodie injuria temporum, diu-
turnitate bellorum, & callidis hæreticorum invasionibus jam pridem iniquissimè laces-
sitam, acquisitum tamen jus suum in illam usque modò constantissime sibi vindicat Car-
loviensis Archi-Abbas Neopragensis.

INSULA,

Et quidem cum addito *Beatae Mariæ Virginis* intitulatum Diœcesis Leodiensis Monaste-
rium, quod Authore nondum per nos comperto fundatum est, circa annum 1233. à
Canonis Regularibus fuisse tentum, & inhabitatum refert author Magni Chronici rerum
Belgica-

Belgicarum editionis Pistorianæ fol. 235. sic legendi: Eodem tempore (1233.) in loco, qui dicitur Granaria, fundata est Ecclesia B. Mariæ Virginis, quæ Insula B. Mariæ dicitur, ubi primò Canonici Regulares fuerunt, sed post Fratres de Ordine Scholarium.

INTERLACENSE,

Prædices, ac (uti refert Gabriel Bucelinus in Indice Alphabetico ad Genealogicam Germaniæ notitiam) potens Monasterium; idem olim inter liberos & immediatos Imperii status Ecclesiasticos recensitum, modò tamen, & quidem jam à longo temporum decursu ab A catholicis Helvetiorum Statibus injustè detentum, primum pro Religiosis Canonicis Ascetis Canonico - Augustinianam professis fuit fundatum, & à binis illis, quos interjacet, Ærgoviæ lacubus Vrenzer, & Thunersee nuncupatis taliter intitulari solitum, temporibus nostris à plebeis Patriæ incolis lepida vocis mutilatione *Hinderlakben*, & *Hinderlaxen* cognominatum, ac sub Diœcesano limite Lausanensi; forensi verò ditione Bernatensi perdurans, primam originem suam trahit ab anno sæculari supra millesimum ducentesimo, primis ter Venerandi Claustris hujus Conditoribus perillustribus ac generosis Dominis Baronibus ab Oberhofen & Riest indigitatis; cæterum plura de Interlacensi Collegio isto isthic referre vel inviti non habemus, præterquam quòd post avitam Patriæ Religionem Orthodoxam jam dudum in pejus transmutatam, Religiosis Canonicis sævitia A catholicorum tum impiè trucidatis, tum iniquissimè propulsatis totus fundus Interlacensis cum queisvis juribus & appertinentiis suis à Bernatensium Calvinianorum Republica in usus illicitos ac prohibitos maneat detentus, fideliter attestante Joanne Stumpfio, etsi damnati nominis auctore in Chronico Helvetiæ lib. 2. cap. 2. fol. 149. & altero ejusdem farinae Scriptore Michaële Stettler itidem in Chronico Helvetiæ lib. 1. fol. 8. Porrò primum Interlacensis Canonice hujus fundatorem Jacobus Manlius in Chronico Constantiensi editionis Pistorianæ constanter asserit Bertholdum Zaringiæ Ducem suæ Stirpis ultimum fol. m. 666.

INTERLACENSI

Recensito prius Canonicorum Regularium Cœnobia quoddam etiam (cujus apertè meminit Casparus Langius jam supra citatus part. 1. fol. 697.) ponè conjunctum adstitit, haud dubiè fundatione sua priori illi Virorum Claustris cœtaneum, nec non iisdem quoque memoratis Authoribus conditum; quod Claustralis Canonissarum domicilium quousque in primogenio Religiosæ conversationis suæ statu perduravit integrum & illæsum, haud amplius quisquam investigare poterit; siquidem post avitam Religionem in partibus istis miserrimè debellatam, & Religiosis Domicellis procul hinc exulare coactis, idem hoc Parthenium Claustrum pariter à Republica Bernatensi supradiçta violenter fuit occupatum, testimonium perhibente Stumpfio antecitato.

INTERMONTENSE,

Taliter à duobus, quos inter vel olim elegantissimo situ constitit, excelsis montibus præstantissimum Regularium Canonicorum Monasterium, istud tamen sub decursum sæculi præprioris invidente Secta Calviniana fataliter extinctum, quod dum adhuc salvum & integrum constitit, sub Diœcesano limite Genevensi, in fundo tamen Helvetiorum locationem suam habuit, idem de tempore & auctore primæ fundationis suæ (Calviniana Religione nimium obsistente) haud amplius inquirendum.

INSKOFIENSE,

Seu *Inskovense* dictum præclarissimum in diebus nostris Canonissarum Augustinianarum contubernium, Diœcesis Constantiensis in superiore Suevia ac ditione Comitum seu Principum de Hohenzollern anno 1354. permodicum solummodo habuit ortum, dum nempe duæ puellæ civicæ Mechtildis & Irmengardis ex honesta Sonerorum familia in vicino oppido Sigmaringen virgineo pudori tutius servando, ad reliquum vitæ inhabitandam sibi delegerunt ædiculam quandam ab omni strepitu forensi longius quidem amotam, juxta tamen parvo cuidam (quod tum SS. Mauritio & Sociis Thebææ Legionis Martyribus sacrum stetit in fundo, qui hodiedum Religiosissimum hoc Claustrum sustinet) facello vicinum. Firmatum ac constans dictarum puellarum sanctæ intentionis propositum ratum, gratumque habuit, atque idipsum realiter exequentibus adhuc excellentiorem viam demonstravit Spiritus ille, qui ubi vult spirat, dum videlicet eadem geminas Christi sponfas plenam & perfectam edocuit adornare Claustralem certæ cujusdam

dam Religiosæ Professionis Congregationem : quam Deo Auspice feliciter inceptam intrâ sequens quadriennium ad duodecim capita videre licuit adauctam, eamque notissimum illud tertiæ Regulæ S. P. Francisci Affiliatis amplexam Institutum. Hanc ergo novellam plantationem de propria mansione opportune construenda sollicitam Dextera Domini fortiter amplius adjuvit, quando nimirum tigna, & laquearia in usum novi ædificii coaptata, & in destinatum planitiem *Plausfelsner*, nuncupatam directo obtutu è Regione hodierni Claustrum de die comportata, continuo nocte proximè subsequente in alium (ubi sacra Domus Inzkoviensis hodieum perstat) locum Ministerio Angelorum translata sunt; sed & Custodes de nocte in oppido Sigmaringen antedicto plurimum admirantes manifestè conuerti sunt lumina ibidem loci desuper immissa, eaque novo & insolito rarissimo splendore coruscantia: quapropter rei novitate commotus Dominus fundi Nobilis Vir Eckardus de Reifach anno 1391. totius areæ circumjacentis veniam lubens fecit publicis literis tam suo quàm succedentium hæredum ac Posterorum nomine donationem istam comprobantibus, conditione tamen juxta posita, ut post mortem in novo Parthenonis hujus templo perpetuis futuris temporibus in salutem animæ suæ vel semel in anno pia iusta persolvantur, quæ conditio hodieum fideliter adimpletur. Donationes ab Eckardo factas successu temporis insigniter augmentarunt posteri ex eadem Nobilium Reifachiorum familia descendentes; atque hos inter hac in parte præcipuus admodum nominatur Michael de Reifach Canonicus Constantiensis ad S. Stephanum: qui in favorem Germanæ Sororis suæ Vestalis Inzkoviensis toti Religiosæ Congregationi præ cæteris aded munificum sese probavit, & exhibuit; unde memoria illius apud Venerabiles Dominas Canonissas loci hujus hodieum in benedictione est.


Taliter ergo devotæ Christi famulæ, partim donationibus exterorum, partim diversis Confodaliis suarum dotibus adjunctæ præter Claustralem habitationem novum etiam ac proprium sibi construi fecerunt templum anno 1384. una cum adjuncto Cæmeterio in honorem SS. Trinitatis, Beatissimæ Virginis Mariæ, & S. Joannis Baptistæ Præcursoris Domini ritu solenni consecratum; ipsæ quoque sacre Virgines paulò post nempe sub annum 1394. sanioribus consiliis inductæ à Burcardo Episcopo Constantiensi autoritate Ordinaria dispensatæ fuerunt ad Ordinem Canonicum S. P. Aurelii Augustini: quem de futuro servandum susceperunt eodem prædicto anno die 27. Octobris, prout plenius constat ex Bulla Episcopali ab eodem Burcardo in rei confirmationem data & expedita die 6. Octobris anno 1394. à quo tempore Nobilissimo huic Parthenoni Canonico Augustiniano successivis vicibus plus quàm laudabiliter præfuerunt Venerabiles Præpositæ numero viginti quinque sequentes.

Syllabus

Reverendissimarum DD. Antistitarum Inskofensium Can. Reg. Ordinis S. Augustini.

- I. Anna Schmidin ex Mengen oppido superioris Sueviæ, titulo, & nomine Priorissæ præfuit annis circiter 25. communi fama sanctitatis inclyta. Commendatur admodum in tabulis, fuisse visionibus cæli sæpissime donatam, maxime vero Christi parvuli præsentia in sacro Odæo dulcissime recreatam. Hac regnante Otho III. ex Comite Hohenbergensi Episcopus Constantiæ ordine LXVI. novum hunc Parthenonem infra limites Parochiæ Laizensis conspicuum à Jurisdictione Presbyteri, seu Curati Parochialis postea omnino liberum esse voluit, & exemptum, sed & proprium Sacerdotem rebus sacris opportunius administrandis loco præsentem habere gratiose concessit.
- II. Anna N. in primam Præpositam Canonice promotæ, vitam in regimine piissime traduxit ad annos fere 30.
- III. Hilaria ex avita stirpe Nobilium Bavarorum à Gumpenberg anno 1450. vel paulo post dignanter admota, post quinquennium ultro resignavit.
- IV. Anna Jäcklin Religiosis suis quinquennio fere, charitate serviente feliciter fuit in Domino dominata.
- V. Hilaria dicta post priorem Resignationem rursus præsidere vocata, totis fere 20. annis.
- VI. Othilia Spenin, exacto regiminis triennio lubens abdicata, in Domo Dei magis subesse voluit, quàm præesse aliis.

VII. Ur-



DISSIMAE ILLUSTRIS RELIGIOSIS
MINAE DOMINAE MARIAE DOROTHEAE
CANONISSARUM REGULARIUM IN
PRÆPOSITAE &c. D. D. D.

Joann. Franck. Jr.



COLLEGIUM INZKOVIENSE DIOECESIS CON-
STANTIENSIS IN SUPERIORI SUEVIA CANONIS-
SARUM REGULARIUM S. AUG. FUNDT. A° M. CCCLIV.

REVERENDISSIMAE ILLUSTRIS RELIGIOSIS-
SIMAE DOMINAE DOMINAE MARIAE DOROTHEAE
A RODE CANONISSARUM REGULARIUM IN
INZROVEN PRÆPOSITÆ & D D D

Jean Franck, Jr.



THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY
545 EAST 57TH STREET
CHICAGO, ILL. 60637



Fragment of text from the adjacent page, including words like "THE UNIVERSITY OF CHICAGO" and "LIBRARY".



GENOVA
VII. D. Decreti
VIII. D. Decreti
IX. D. Decreti
X. D. Decreti
XI. D. Decreti
XII. D. Decreti
XIII. D. Decreti
XIV. D. Decreti
XV. D. Decreti
XVI. D. Decreti
XVII. D. Decreti
XVIII. D. Decreti
XIX. D. Decreti
XX. D. Decreti
XXI. D. Decreti
XXII. D. Decreti
XXIII. D. Decreti
XXIV. D. Decreti
XXV. D. Decreti
XXVI. D. Decreti
XXVII. D. Decreti
XXVIII. D. Decreti
XXIX. D. Decreti
XXX. D. Decreti

VII. Urfula Dietrichen octennio fere rexit.

VIII. Magdalena Weinschenckin triennio fat laudabiliter rexit.

IX. Othilia Spenin altera jam vice fedī vacanti imposita 17. adhuc annis rexit.

X. Dorothea Freyin electa anno 1522. piissimum cætum speciali Numinis providentia salvum servavit, & immunem à calamitosis temporum istorum spurcitiis, hæreseon monstris, & efferis tumultuantium rusticorum disturbis, quorum infano furore in ple-risque Germaniæ provinciis integra cecidere Monasteria, ultimum exterminium passa.

XI. Elifabeth Mundpröttin ad decennium fere post electionem vitam, & regimen protraxit, in Domino demortua anno 1531. Tunc Canonica, ut Liliū inter spinas nobiliter emicuit, & suavissimo bonæ famæ odore apud notos, & ignotos latissime diffuso mire fuit exaltata, pluribus puellis, etiam sanguine clarissimis huc ut ad tutissimum salutis portum, gravissima temporum injuria non obstante, confugientibus; unde videbatur Augustini Parthenon hic non solum numero multiplicari, sed & meritis gloriosis exaltari, & in Domino lætificari.

XII. Susanna Lengin anno 1542. 11. Junii pleno regimine donata, quinquennio præfuit.

XIII. Salome Wetterlin anno 1547. 27. Februarii reliquis præfidere promerita octennio rexit.

XIV. Martha Weberin anno 1555. 18. Novembris electa 13. annis munus, & onus patiens admodum, & honorifice pertulit.

XV. Margaretha Knösin 18. Novembris 1568. electa, distinctis vicibus hospites recepit Venerabiles in Christo PP. Petrum Canisium, & Paulum Hoffæum S. J. Presbyteros, toto orbe nominatissimos, Romam abeuntes, & illinc redeuntes ex itinere ad se divertere, & coram invisere voluit. Amavit semper Inskovium Reverendissimus, & Illustrissimus S. R. I. Princeps DD. Otho Truchsessius de Walpurg S. R. E. Tituli S. Praxedis Cardinalis Episcopus Augustanus, & Albanensis &c. &c. unde religiosissimæ Domicellæ tam gratiosè visitatæ, & gratissimo piissimorum hospitem adventu mire in Domino recreatæ, plurimum profecere in via virtutis, saluberrimis talium, & tantorum Ascetarum exhortationibus publicis, & privatis, & piis eorum alloquiis animæquiores redditæ, propositi sui firmissime tenaces constantissime perstiterè, insignibus gratiis spiritualibus, seu Indulgentiis sacris ad certa anni festa in propria Ecclesia lucrandis adjunctæ, & speciali Papæ Privilegio, quo facultas ipsis datur à Gregorio XIII. condignis ritibus adservandi in Choro SS. Evcharistiam, contraria Concilii Tridentini Constitutione, seu alia quacunque nequiquam obstante.

XVI. Emerentiana Stärckin electa anno 1584. 20. Februarii ultra quadriennium inclaruit.

XVII. Amalia ex Illustrissimis Comitibus de Hohenzolleren, anno 1588. electa 12. annis rexit.

XVIII. Cleopha Hochrathin anno 1600. electa, post sex annos obiit, postquam ædificare capit novum sacri sui Gynecæi domicilium: cujus tamen ultimum consummationis finem in annos fuisse dilatatum, suo loco habetur annotatum.

XIX. Eleonora Englin electa, Argos vigilans biennio solum gregem pavit.

XX. Elifabetha Spanholzin anno 1608. 7. Septembris electa, sola Jubilæa fieri promerita, tandem viribus fractis oneri, & muneri succubuit anno 1668. Incidit piissima in tristia illa tempora, quibus Mars aquilonaris per totam fere Germaniam se terribiliter effudit. Quare venerabilis hæc Præposita metuendam Suevicæ persecutionis rabiem declinans, totis 13. annis cum sororibus sacris, & Domicellis exulare coacta, Constantiæ Acronianæ delituit; ubi, licet fortunis omnibus exuta, piorum tamen fautorum elemosynis, maxime largissimis Reverendissimi, & Amplissimi D. Jacobi Creuzlingensis Abbatis stipendiis constanter adjuncta substitit, dum pace publica patriæ reddita remeavit ad propria: ubi novum religiosæ mansionis ædificium, sub initium prioris sæculi cæptum brevi absolvit, nova omnino superadstructa Ecclesia, quam dein cum aris solemniter consecravit Celsissimus, & Reverendissimus S. R. I. Princeps, DD. Franciscus Joannes Episcopus Constantiæ Dominica 17. Pentecostes, 20. Septembris die anno 1661.

XXI. Maria Francisca Raslerin anno 1658. electa, honorabilis in officio claruit ultra 22. annos.

XXII. Elifabetha Harderin electa 27. Decembris anno 1680. triennium non absolvit regendo, sed mox sopita in Domino requievit.

XXIII. Maria Dorothea ex avita stirpe inclytorum Sueviæ Heroum, Illust. DD. Baronum à Rodt progenita, Celsissimi, & Reverendissimi S. R. I. Principis DD. Marquardi Rudolphi Episcopi Constantiæ germana soror electa 6. Augusti anno 1683. dignissime, magna sui nominis gloria laudatissime rexit Parthenonem secundum sacram Regulam S. Augustini ad amissim excultum, ad lucidissimum aliorum exemplum; in arctissima clausura, & accuratissima Disciplinæ regularis observantia Deo perquam strenue militare hodie videmus personas Prænobiles, queis omnibus una, & præcipua cura est de officio divino non tam diurno, quam nocturno juxta Ordinem Romanum exactissime celebrando; unde diebus festis, & Dominicis Musicam ibi audire licet, & hymnodiam vere suavissimam: ad quam attentis auribus delibandam fortiter allecti catervatim advolant præter vicinos Dynastas nobiles, etiam populi de longe venientes. &c. &c. Per annos triginta profuit & præfuit famam immortalem post se relinquens, postquam ad vitam immortalem transiit anno 1713. ætatis suæ 75.

XXIV. Dorothea Karrerin. Jacturam grandem, quam illustre hoc Parthenonem passa est per decessum præcedentis Præpositæ, repararunt assistente divino spiritu suffragia eligentium Canonissarum, quibus ad hanc dignitatem evecta fuit Dorothea ista, fœmina heroico spiritu, & virili prædita. Religiosarum Virginum cætum ad omnes pietatis & Canonico-Augustinianæ vitæ Regulas solertissime instruxit. Forma gregis facta optimis exemplis in sui imitationem Sodalitium suum traxit. Ardentissima fuit Jesu Eucharistici Adoratrix, Passionis Dominicæ contemplatrix assidua, cultui B. Virginis & reliquorum cœlitum deditissima. Instauravit egregie Præposituræ ædificia, hortum Virgineum altiori cinxit muro, in templi Ornatum magnam pecuniæ summam insumpsit, nihilominus proventus Parthenonis novis auxit incrementis. In morbo vitæ suæ extremo tanta animi hilaritate & conformatione in voluntatem divinam supremam expectavit horam, ut piissimus Ejusdem Confessarius palam edixerit: *Reverendissime hujus Præpositæ exemplo nos edoceri, mortem etiam inter dolores acerbissimos piis animabus esse jucundissimam.* Dies 18. Martii anno 1740. ad jucundissimas cœli delicias Dorotheæ animam transmissit post annum ætatis suæ sexagesimum quartum.

XXV. Anna Maria Storerin Constantiensis ex prænobilibus parentibus orta Reverendissimæ Dorotheæ succedere compulsa (ægerime enim Præposituræ dignitatem adiit) summa cum laude Religiosissimæ Conversationis hodiedum præest, cui felicissimos regiminis annos ex animo imprecamur.

S. JOANNIS EVANGELISTÆ,

Ecclesia, quàm Sanctus Patiens Quartus Metensium Episcopus in Urbe Metensi in honorem S. Joannis Evangelistæ, sui quondam Magistri, extruxit circa annum Domini 130. In hac eadem Ecclesia S. Joannis charissimum pignus, dentem scilicet, quem ipsemet S. Joannes discipulo suo dilecto, S. Patenti ex ore suo, ut fertur, extractum donaverat, S. Patiens reposuit perpetua veneratione observandum. Ex relatione Reverendissimi & Amplissimi DD. Abbatis Calmeti Ord. S. Benedicti Senonensis (o! quantum Litteratorum Virorum decus hic nomino!) S. Patiens in hac Ecclesia ordinavit Viros Ecclesiasticos laudem Dei decantantes, qui successu temporis Regulam S. Augustini amplexi sunt, sed in regulari disciplina tandem deficientes anno 939. extrusi, eorumque in locum introducti sunt Benedictini. Anno autem 1049. Abbatia S. Clementis per specialem Bullam Pontificiam Leonis IX. sub Adalberone Episcopo Metensi Abbatia S. Arnulphi (sic enim vocatur hodie memorata Ecclesia S. Joannis Evangelistæ) totaliter fuit incorporata. Ita citatus Reverendissimus Abbas in Litteris suis ad R. D. Bernardum Streler datis.

ITTENWEILERENSE,

Jam pridem antiquatum in inferiori Alfatia sub Diocesano limite Argentoratensi de Congregatione Windesimensi Virorum Monasterium, recensetur à Jacobo Wimpelingo in Catalogo Episcoporum Argentinensium fol. m. 33. secundum primam fundamentum suam in hæc verba descriptum. Sub hoc (Gebhardo Argentoratensi Episcopo, qui præfedit ab anno 1124. usque 1141.) anno Christi 1137. regnante Lothario, Dominus in Ittenweiler à Conrado Cathedralis Ecclesiæ Canonico cum allodio & appendiciis in Sanctæ Christianæ Virg. & Martyris gloriam fundata est, & Canonicis Regularibus subdi-

subdita in remedium animarum Patris sui Trutheri, & Matris suæ Berthæ, ubi hodie laudabiliter & Religiose Domino Deo servitur. Postea anno Christi 1454. Robertus (itidem Argentinensis Episcopus, & quidem ex calculo ejusdem Wimphelingi septuagesimum septimus) Domum eandem Monasterio S. Arbogasti univit, & annexuit; quam unionem postea consentiente Majoris Ecclesiæ Capitulo retractans sacrosanctæ Domui in Truttenhausen Monasterium in Ittenweiler copulavit. Verùm tandem Robertus urgentibus causis idem Monasterium à Truttenhusensibus quoque segregans & dismembrans, specialem illic Præpositum esse debere decrevit; utramque tamen Domum ab omnibus oneribus & contributionibus Episcopo faciendis exemit. &c. Et sic quidem ille loco citato. Verùm posterioribus annis & quidem perdurante præpore Sæculo decimo sexto fervercente nimium bello (quod sanè in Alsatia terribile nimis fuit) Rusticano sæpessatum Ittenweilerense Cœnobium istud à Rebellibus subditis violenter occupatum, & sacrilege direptum, lapsu temporis utcumque tandem cessit Episcopatu Argentoratensi; cujus Summi Antistites isthuc loci seu in Ittenweiler substituerunt Sæcularem quendam Officalem ad recipiendos (qui etiamnum superant) fructus & reditus quot annis colligendos ex officio deputatum, ipsum verò Monasterium seu Claustrale murorum ædificium pessimè deterioratum nec quidem speciem Religiosæ habitationis alicujus (qualiter nuperrimè primum ex Alsatia perscriptum est) amplius præferret.

ITTINGENSE,

Pariter jam olim (secundum primogenium statum suum Canonico - Augustinianum) extinctum apud Helveticos in amplissima Diœcesi Constantiensi conspicuum Monasterium; hoc tamen jam à duobus retrò sæculis ad alienos translatum, seu in Domicilium sacre familiæ Cartusianæ conversum; de quo eodem nuper ex ipsa (quæ hodieum floret) Cartusia Ittingensi fideliter rescripta fuerunt sequentia: Ittingum antiquioribus sæculis castrum erat Nobilium Dapiferorum ab Ittingen nuncupatorum, quodque Adelhardus Nobilis Dapifer tempore Caroli Crassi anno 841. tenuit. Ea tempestate Monasterio S. Galli Grimoaldus Abbas præerat, cui præfatus Adelhardus non pauca immobilia prædia vendidit; reliqua, quæ hic loci gesta sunt, decursu temporis Vulcanus absumpsit. Grimoaldo primum dicto in Abbatia munere successit Waltherus Dapifer ab Ittingen Baronis titulo sublimatus, qui tempore schismatis inter Rudolphum Sueviæ & Allemanniæ Ducem Comitumque Rheinfeldenem electum Cæsarem & Henricum IV. Imperatorem Henricum plurimum defendit. Partes Henrici propugnabat San - Gallensis Abbas Udalricus III. Carinthiæ Comitis filius. Eapropter inter Udalricum Abbatem antedictum & Waltherum Dapiferum gravissimum dissidium ortum, castrumque ab Abbate San - Gallensi in propriam potestatem redactum solo fuit æquatum anno circiter 1079. Hocque Castrum Ittingense cum omnibus appertinentiis suis jure belli cessit Monasterio San - Gallensi. Quadraginta annis post demolitionem Castrum desolatus isthuc locus cessit Regularibus Canonicis Ord. S. Augustini, atque in Præposituram fuit evehctus 12. Canonicos sub se continentem; quod factum est tempore Gebhardi tertii hujus nominis Episcopi Constantiensis. Præpositorum nomina plerumque interierunt relictis aliquot paucis sequentibus M. SS. utcumque repertis. Adalbertus Baro & Dapifer ex Ittingen præfuit anno 1180. quem quidem jam longe prius Præpositum fuisse asserunt, ut inde palam fiat, ipsum Adalbertum hunc pluribus annis Præposituram administrasse, ac proin hujus originem videri antiquiorem. Hadrianus Papa quartus eundem Adalbertum cum reliquis Confratribus sub specialem B. Petri & Sanctæ Sedis Apostolicæ protectionem recepit an. 1155. Albertus Præpositus Ittingensi præfuit an. 1219. Rudgerus diutius dignitatem & locum obtinuit, uti patet ex litteris ejus hinc inde multifariam datis & expeditis circa annum 1387. & 1407. Conradus Concilio Constantiensi interfuit anno 1414. Joannes anno 1451. & sequentibus nominatur in actis. Petrus præfuit anno 1430. Guilielmus Neidhard postulatus ex Canoniam Exempta Wengensi Ulmæ ultimus Præpositus ab anno 1526. usque 1562. regimen tenuit, cujus nomen occurrit in publico Instrumento infra posito, sicque Domini Præpositi cum suis Regularibus Augustinianis Monasterium hoc tenuerunt annis 334. atque illis descendentibus locus iste à Venerabilibus Patribus Ordinis Cartusiani non modicâ pecuniæ summâ fuit coemptus, quique exinde usque in præsens ab iisdem Religiosissimis Therapeutis constanter manet inhabitatus.

In nomine Domini amen. Per hoc præsens publicum Instrumentum cunctis, ipsum viris, & auditoris, quorum interest, vel intererit, pateat evidenter, quod sub anno

à Nativitate Domini ejusdem millesimo quingentesimo tricesimo septimo, Indictione quinta decima Pontificatus sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Eugenii divina providentia Papæ, anno ejus septimo, die vero sexta mensis Maji hora nona, vel paulo ante, in Monasterio in Creuzlingen Ordinis S. Aug. Cann. Regg. extra muros Constantienses provinciæ Moguntinæ, & ibidem in solario Domus, sive habitationis Venerabilis, & Religiosi in Christo Patris, & Domini Joannis Abbatis Monasterii ejusdem, in honorabilium testium, meique Notarii publici, veluti publicæ, & Authenticæ personæ subscriptorum præsentia personaliter constituti Venerabiles, & Religiosi in Christo Patres, & Domini, Joannes Abbas præfatus, Ulricus in Insulis Ulmenfis, Wilhelmus in Yttingen, & Fridericus in Rideren Monasteriorum Ordinis, & Regulæ prædictorum dictæ Constantiensis Diocesis Præpositi in persona, & per organum Venerabilis, & periti viri Magistri Ludwici Nithart in Decretis Licentiatii Officialis Curie Constantiensis proposuerunt, & verum esse dixerunt, quod, & quoniam alias Præpositura Monasterii in Büren Ordinis, & Regulæ supradictorum per liberam resignationem Domini Wernheri ipsius Monasterii in Büren Præpositi vacante, & Fratibus, sive Conventualibus Monasterii ejusdem ad Electionem alterius Præpositi taliter qualiter procedentibus, & quemdam fratrem Joannem Lopach, fratrem, sive Conventualem ipsius Monasterii in Præpositum eligentibus, ipsi Domini in Insulis, in Yttingen, Montis Turicensis, in Oeningen, & in Rideren Præpositi, aliique non nulli dicti Ordinis Prælati hujusmodi prætenfa Electione ad Eos deducta, scientes, dictum Joannem prætenfum, electum Præpositum, tanquam in spiritualibus, ac etiam temporalibus improvidum, & minus idoneum, ipsi Monasterio in Beuren ad præstendum inutilem, & ipsi Monasterio per Eum minus sufficienter, & idoneè providere, prælibatum Dominum Joannem Abbatem in Creuzlingen, tanquam Visitatorem, ac superiorem dicti Monasterii in Beuren humiliter, & devote interpellarunt, ut ipsi Monasterio providendo Religiosum virum, Dominum Georgium Kilcher, virum utique tam in spiritualibus, quam etiam temporalibus providum, & circumspectum, bene meritum, & alias sufficientem, & idoneum in Ejusdem Monasterii Præpositum præficere dignaretur, & vellet, qui quidem Dominus Joannes Abbas Visitator, ac Superior dicti Monasterii in Beuren volens Eidem Monasterio improvise, sufficienter, & idoneè providere, vitæque, ac morum honestate, aliisque probitatis, & virtutum meritis prænominati Domini Georgii Kilcher, quibus familiari experientia apud eum dixit commendari, inductus hujusmodi meritorum suorum intuitu Eundem tanquam talem, qualis præfertur, in dicti Monasterii in Beuren Præpositum, & Pastorem rite, & legitime servatis servandis deputavit, præfecit, & ordinavit, Regimen, & Administrationem Monasterii ejusdem sibi in animam suam committendo. Et, quia hujusmodi ordinatio, & deputatio per sanctissimum in Christo Patrem, & Dominum nostrum D. Eugenium Papam præfatum approbata, & confirmata, sibi que Domino Georgio de dicta Præpositura de novo provisum fuit, ipsi Domini Joannes in Crüzlingen, in Insulis, in Yttingen, Montis Turicensis, in Oeningen, in Rideren, & non nulli dicti Ordinis Prælati se ad contribuendum, & compræstandum ipsi Domino Georgio, ut in Juris sui prosecutione detrimentum non pateretur, & Jus suum sibi non deperiret expensis, ad litem, si quæ sibi per dictum Joannem prætenfum electum super dicta Præpositura moveretur, obligassent, & quilibet eorum pro rata eum concernente obligasset, idcirco ipsi Domini Joannes Abbas in Creuzlingen pro se, & Venerabili, & Religioso viro Domino Joanne Præposito Monasterii Montis Turicensis, cujus ad submissa faciendum Mandatum, & Consensum se habere asseruit Ulricus in Insulis pro se, & Venerabili Domino Petro Præposito Monasterii in Waldsee, pro quo similiter se ad submissa faciendum Mandatum habere dixit, & consensum Wilhelm in Yttingen, & Fridericus in Rideren Præpositi, ut obligatio hujusmodi effectui subjaceret, se de novo ad contribuendum, & compræstandum præfato Domino Georgio Kilcher Præposito in Büren expensas ad litem sibi super dicta Præpositura suscitatas expositas, vel adhuc exponendas omnibus modo, via jure, & forma, quibus melius potuerunt, vel debuerunt, sponte, & libere, & ex certis eorum scientiis, matura etiam præhabita deliberatione, ut asseruerunt, pro se, & suis Monasteriis prædictis, eorumque, & cujuslibet eorum in eisdem successoribus causis ex præmissis obligarunt, & quilibet eorum pro rata eum concernente obligavit, obligantque, & obligat, atque obligatos, & astrictos esse voluit, & volunt præsentis publico Instrumento; sic tamen profecto pacto, & condito, quod ipse Dominus Georgius hujusmodi sibi ad dictam litem per Dominos Prælatos jam dictos contributa, & compræstata, postquam in dicta sua Præpositura quietus efficetur, eisdem, & cuilibet eorum tantum, quantum ipse expendisset, contribuisset, & compræstasset, retribuere, restituere, & reddere debbit, & tenebitur realiter, & cum effectu, sine dolo, & fraude, ac etiam contradictione, & impedimento cujuscunque. Promiserunt etiam Domini Joannes in Creuzlingen pro se, & præfato Domino Joanne Præ-

Præposito Montis Turicensis, nec non Ulricus in Insulis pro se, & Domino Petro Monasterii in Wallsee, Wilhelmus in Ittingen, & Fridericus in Rideren Monasteriorum Præpositi supradicti per fides suas nomine juramenti in manus mei Notarii publici infra scripti vice, & nomine, ac ad opus omnium, & singulorum, quorum interest, vel intererit, solum inter stipulantes, & recipientes, præpositam se hujusmodi obligationem, & astrictiorem servare, & attendere, ac adimplere, ratamque, & gratam habere, & tenere perpetuo, atque firmam, & contra eam numquam facere, vel venire, per se, vel alium, seu alios, aut contravenire volenti aliquatenus consentire, quovis quæsito ingenio, vel colore, omni exceptionis beneficio juris, & facti in præmissis penitus renuntiato. Super quibus omnibus, & singulis ipsi Domini Joannes in Creüzlingen Abbas, Ulricus in Insulis, suis, & aliorum, quorum superius, nominibus, nec non Wilhelmus in Ittingen, & Fridericus in Rideren Monasteriorum Præpositi antedicti me Notarium publicum infra scriptum, ut sibi super his unum, vel plura, publicum, seu publica melioribus modo, & forma, quibus fieri possent, conficere, & confecta traderem Instrumentum, & Instrumenta, tot, quot sunt necessaria, cum instantia debita requisiverunt. Acta sunt hæc anno Domini, Indictione, Pontificatu, mense, die, hora, & loco ut supra, præsentibus tunc & ibidem providis, & discretis viris, Joanne Rugg armigero, Ulrico Ehinger, cive Constantiense, & Joanne Kam laico literato Ratisbonensi diversis testibus ad præmissa vocatis, & requisitis. Nos etiam Joannes Abbas in Creüzlingen, Ulricus in Insulis Ulmenibus, Joannes Montis Turicensis, Wilhelmus Yttingensis, Petrus in Wallsee, & Fridericus in Rideren Monasteriorum prædictorum Præpositi antedicti in evidens testimonium præmissorum omnium, & singulorum sigilla nostra præsentis publico Instrumento duximus subappendenda. Datum, ut supra &c.

Signum Notarii Barth. Gunther.

Et ego Bartholomæus Gunther de Confluentia Turicensis Diœcesis publicus sacra Imperiali autoritate, & Curie Constantiensis Notarius Collateralis juratus, Quia præsentationi, obligationi, astrictiioni, promissioni, ratihabitioni, & annuntiationi, aliisque præmissis omnibus, & singulis, dum sic, ut præmittitur, tempore, & loco, quibus supra, fierent, & agerentur, una cum prænominatis testibus interfui, & ea sic fieri vidi, & audivi, ideo præsens publicum Instrumentum alterius manu fideliter scriptum exinde confeci, & in hanc publicam formam redegi, signo, & nomine meo solitis, & consuetis, una cum sigillorum Venerabilium Patrum, & Dominorum Joannis Abbatis in Creüzlingen, Ulrici in Insulis Ulmæ, Joannis Montis Turicensis, Wilhelmi in Ittingen, Petri in Wallsee, & Friderici in Rideren Monasteriorum prædictorum Præpositorum appensione consignando rogatus, & requisitus in fidem, & testimonium omnium, & singulorum præmissorum.

[L. S.]	[L. S.]	[L. S.]	[L. S.]	[L. S.]	[L. S.]
[Creuz- lingen.]	[Ittingen.]	[Waldsee.]	[Ulmæ in Insulis.]	[Montis Tu- ricensis.]	[Rideren.]

Ex hoc Instrumento colligitur, celebres olim in vicinia nostra fuisse Canonicas Ittingensem, & Turicensem; quod & ex eo præsumi potest, quod antiqua Archivii Creüzlingensis documenta ostendant, utriusque dictarum Canonicarum Præpositos fuisse plerumque Collegii Creüzlingani Conservatores Apostolicos. Turicensis Canonica tota collapsa est, & ad manus Calvinistarum Tigurinorum, quibus adjacebat, devoluta. Ejus autem Litteræ foundationis extant in Archivio Creüzlingano.

ITZEHO,

Holfatiæ Civitas hodie cum tota, cui inest, provincia sub Dominio Regis Danorum comprehensa præ foribus, an dicam, in suburbio suo Illustrissimum quoddam Parthenium Collegium habet, atque istud hodiè à Partheniis Domicellis plus minùs viginti, istis tamen omnibus inimicam Religionem (Calvinianam, an Lutheranam) Professis constanter inhabitatum, olim verò sacre Religionis Canonico - Augustinianæ conquadratum, cujus Inquilinas adhuc anno 1302. fuisse Religiosas & apertè *Moniales* appellari solitas, dilucidè constat ex propria loci historiâ, quam occasione Miraculosæ cujusdam Imaginis isthic loci veneratione publica celebrari consuetæ devotè recitat R. Guilielmus Gumpenberger Soc. Jesu in Atlante Mariano part. 3. Imag. 1175. fol. 3008. sic legendas:


das: Itzechi in Germaniâ Superiore Gerhardus Comes Holfatiæ solebat, cum in hostes iret, Imaginem sacratissimæ Virginis collo appensam circumferre in omnia pericula, quam anno 1320. gestans contra Danos ter fertur cecinisse, Nos hac die tibi gregatos ferva Virgo. Pugnavit, & vicit. Notandum, quod eo in prælio ita se Gerhardus hostibus miscuerit, ut secum etiam sanctam Imaginem in periculum adduxerit. Alteram tunc manum in prælio S. Statuæ decidam ferro fuisse asserunt, tanto miraculo, ut eam nullus artificum iterum trunco brachii posset apponere. Et tunc, cum hæc scriberentur, Moniales in Itzecho monstrabant Virginis brevem statuam. Porro Itzecho oppidum est in Holfatia, in quo circa annum 1202. die proxima Deiparæ Natæ visa est sublimis supra oppidum Divæ Virginis hæc Imago, quam sanctè, qui viderant, venerati ex illo die Religiosissimè coluerunt. Perseverat, inquit Auctor, in hodiernum diem memoria, appellaturque hodiè *Civium dies*: quippe illa die, qua sic Virgo apparuit, bis Stora fluvius in eam altitudinem excrevit, ut ponte rejecto tueretur cives contra furias obfidantium, & expugnationi instantium Danorum. &c.

JULIACENSE

Parthenium Canonissarum Regularium de Ven. Congregatione S. Sepulchri contubernium in Ducali paris cognominis civitate (vulgò Gülch) Juliacensi constitutum hodièdum apprime floret; quod ipsum primitus instituit, atque ad istud ex alio quodam unius ejusdemque nominis Religioso Domicilio apud Aquisgranenses jam supra memorato, ubi prævio sacre Religionis tyrocinio sanctissimè completo sub annum Christi 1635. Regularem Professionem emisit, divino afflata Spiritu anno 1644. pridie Idus Julii novam simul sacrarum Virginum Coloniam secum adduxit Venerabilis Domina Alvera de Virmund, prima loci hujus beatæ memoriæ Priorissâ, jam supra in descriptione Parthenonis Aquisgranensis laudata. Novam autem foundationem istam Juliacensem quamprimum ratam gratamque habuit, eamque totâ autoritate suâ clementissimè comprobavit loci Ordinarius, qui pro tempore fuit Eminentissimus Princeps Ferdinandus utriusque Baviaræ Dux, Elector & Archi-Episcopus Coloniensis &c. quod idem pariter in rem præsentem præstitit etiam Princeps terræ seu Serenissimus Juliæ Cliviæ & Montium Dux Wolfgangus Wilhelmus Comes Palatinus Rheni. Prima sanctæ memoriæ Priorissa jam supra memorata Ven. Domina Alvera morte naturali terris abrepta, cælis immigravit anno 1649. die 24. Aprilis. Post quam Religiosissimæ Congregationi huic dignissimè præfuit & pari vitæ sanctitate inclyta refulsit Ven. ac Prænobilis Domina Margarita Theresia Mierol de Coslaria die 10. Junii in Priorissam Juliacensem delecta, tum eadem ipsa quarto sui Regiminis anno Novesium translata, ibidem quoque novum aliquod sæpè memoratæ Congregationis S. Sepulchri Domicilium instauravit. Anno 1653. die 17. Aprilis successit Othilia de Virmund Alveræ primæ Juliacensis Priorisse supradictæ Germana Soror, quæ pientissimum Parthenium hunc Cætum suum Juliacensem raro vitæ sanctioris exemplo plurimum illustravit, eadem demum anno 1684. die 4. Aprilis tumultu illata, cujus locum & dignitatem die undecima ejusdem Mensis & anni concordi suffragantium calculo suscepit Ven. itidem ac Prænobilis Domina Anna Francisca van Margret, cui benè sit jugiter in Domino.

JUPPELIENSE,

Taliter dictum ab eo, cui inest, cognomine oppido, Venerabile quoddam de sæpèdicta S. Sepulchri Congregatione Contubernium, intrâ fines vastissimæ Diœcesis Leodiensis, imò propè Leodium ipsam Civitatem de præsentem conspicuum; ceterâ idipsum Religiosum Domicilium ob continuos (dum hæc anno 1703. scribimus) hinc inde per universam Provinciam istam obstrepentes belli motus tam de moderno statu, quam de primævo ortu & progressu suo nobis vel invitis prorsus incognitum.



Littera K.

KIMADENSE

Seu Monasterium in *Kimade* Diœcesis Leodiensis anno gratiæ humanatæ 1474. à Prænobili Domina Maria de Kessenich fundatum fuit, & noviter extructum pro Viris Regularibus in sæpè memoratâ Congregatione S. Sepulchri vitam Religiosam Professis; quibus